



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

11. Carolus Caluus Francorum Rex Stephano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, eiusq[ue] successoribus, an. 863. concedit legalis iustitiae disciplinam in ciuitate Atrebatensi, & teloneum ac monetae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

C A P V T X I .

Carolus Caluus Francorum Rex, Stephano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo, eiusque successoribus, an. 863. concedit legalis iustitiæ disciplinam in ciuitate Atrebatensi, & teloneum ac monetæ officinam in Lambris, petentibus Isaaco & Sigardo Comitibus.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. CAROLVS diuina propitiante clementia Rex Francorum. Si nostrorum petitiones fidelium benignè suscipimus, eorum procul dubio animos in nostra fidelitate solidamus.

Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, tum præsentium tum & futurorum, religiositas nouerit, quoniam adeuntes nostræ dignitatis præsentiam, ISAAC & SIGARDVS, Comites, humiliter precati sunt, vt concederemus cuidam Cameracensis ecclesiæ Præsuli, venerabili viro nomine STEPHANO, eiusque successoribus omnem, quam regia Maiestas habet potestatem, scilicet legalis iustitiæ disciplinam, excepto dumtaxat stipite, quo Comitibus industria, malo accersito, iustitiæ Dei & Regis regaliter habet exhibere, in quodam loco iuxta ac cis castrum trans fluuiolum, qui dicitur Cricencio, ad eam scilicet plagam, qua ecclesia beatæ genitricis Mariæ sita est, infra vnus leuæ vndique spatium.

Quorum omnino petitionibus annuendo concessimus, sed in eiusdem castri pago, villa quæ fertur *Lambris*, vltra citraque fluminis ripam, quod dicitur *Scarpus*, totum eiusdem villæ prædium, & vltra quantum arcus iacere potest vndique, at teloneum (si quod ibidem fortè debebitur) sed & aduenas eo loci commorantes, atque monetæ officinam simili modo donamus; vt amodò & in perpetuum modò dictos locorum ambitus, sub immunitatis nostræ tutela ac defensione, Deo dilectus & nobis fidelis iam dictus Episcopus, eiusque successores, quieto ordine, absque vllius contradictione personarum, perpetuò possideant, & excepta omnium inquietudine Deo seruiant, ac proprijs vtilitatibus vacent, atque nostro fideliter imperio pareant.

Præcipienter ergò iubemus, vt nullus Comes, aut Vicecomes,

vel quilibet ex iudiciaria potestate, suprascriptorum spatia limitum ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut fideiussores tollendos, aut aduenas distringendos, nostris futurisque temporibus ingredi audeat: sed quidquid exinde fiscus noster acquirere poterit, totum pro nostrae animae remedio, ac regni stabilitate, eius ecclesiae profectibus delegamus, quod & ipsis utilitas temporaria, & nobis successoribusque nostris salubritas proueniat aeterna.

Et ut haec nostrae auctoritatis praecipio firmiter in Dei nomine habeatur, ac per futura tempora melius conseruetur, manu propria subter firmavimus, & annulo nostro sigillari iussimus.

Signum CAROLI Regis gloriosissimi.

Gofelinus regiae dignitatis Notarius, ad vicem Heriuei Archiepiscopi summiq[ue] Cancellarij, recognouit.

863.

Datum XI. Kal. Iunij. Indictione XI. anno XXIV. regnante Carolo Rege gloriosissimo.

N O T A T I O N E S.

ISAAC) Comes Cameracensis: de quo Baldericus in Chron. Cameracensi; ut & de Stephano Episcopo.

MALLO accersito,) hoc est, conuentu seu comitijs indictis.

CRUENCIO) fluuiolus urbem Atrebatensem perluit.

LAMBRI) vulgò Lambres, vicus Duaco opido vicinus, ad Scarpum, officina olim monetaria celebris. Hunc quondam Episcopus seu Ecclesia Cameracensis possedit: ut ex citato Balderici Chronico constat. Annis superioribus ad collegam nostrum D. Siluestrum Pardo, Canonicum Antuerpiensem, & hodie ad illius heredes pertinet.

C A P V T X I I.

Carolus Caluus Imp. Dononiense monasterium, à S. Ragenfrede in Hannonia ad Scaldim fluuium, secundo lapide à Valentianis constructum, an. 877. instaurat, & praedijs iam olim possessis dotat, hortatu Gisle sororis suae.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. CAROLVS misericordia Dei Imperator Augustus: omnibus Christicolis pax & salus.

PRO.